



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia**

**Karchne, Simon**

**Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714**

§. X. Quo ordine in pias causas sint erogandi superflui redditus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40013**

liorum, & ob majus DEI obsequium; finis enim Canonum irritantium testamenta Beneficiorum erat impedire occasionem Theaurizandi ex fine, ut post mortem habeant gloriosam sui memoriam in aliquo opere magnifico pio, quia tamen hic finis per se est valde laudabilis etsi minus perfectus, idcirco consuetudo testandi in opus pium potest esse rationalis, atque aded præscribere adversus præfatos canones. Consentit Molin. cit. *Disput. 147. Conclusione 6.* Censeo ulterius posse esse rationabilem consuetudinem etiam testandi ad causas profanas, ita cit. Haunoldus *num. 257.* Molin. cit. *Conclus. 7. Less. num. 46.* Ratio quia sunt Domini fructuum, ergo sicut in vivis validè dispensant eos etiam in profana, etsi illicitè, ita etiam validè poterunt dispensare per ultimam voluntatem, hujus enim irritatio cum sit juris merè humani contra eam præscribi potest.

Ex dicta *Conclusione 7.* infert Molin. *Conclus. 8.* ubi invaluit consuetudo validè testandi in usus etiam non pios,

si Beneficij decedant intestati, in eorum bona etiam ex redditibus comparata succedere eorum hæredes ab intestato, nam non condens testamentum censetur tacitè relinquere illis sua, ergo sicut consuetudo validat eorum testamenta, ita eadem validat ultimam dispositionem intestati.

Dixit Molin. *validè quia Conclus. 11.* negat hanc consuetudinem esse licitam, eo quod consuetudo contra jus naturale prævalere non possit. Verùm cum Doctores nostræ sententiæ non agnoscunt ullum jus naturale prohibens fructus Beneficiales expendi in usus profanos, sed merè positivum humanum, rectè deducitur eam consuetudinem etiam licitè sic testandi induci posse, eamque defacto introductam in tota Gallia & Hispania scientibus & consentientibus summis Pontificibus, ita Haunold. cit. *juncto num. 261.* Ex his solutum manet Argumentum Patris Raiffenstuell propositum *num. 71.* ex quo pro Complemento præsentis materiæ sequentia subijcio.

§. X.

Quo Ordine in pias causas sint erogandi superflui redditus?

DE hoc videatur infra n. 407.



L

AR.